



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XVIII. Warpun und Hermann, die Prutzen, verkaufen dem Kloster Marienwalde die Mühle zu Driversdorf, am 28. August 1318.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

XVIII. Warpun und Hermann, die Pruzen, verkaufen dem Kloster Marienwalde die Mühle zu Driuersdorf, am 28. August 1318.

In nomine sancte et Individue Trinitatis Amen. Cum natura sit labilis et infirma, Necesse est ea, que in tempore geruntur, ne simul labantur cum tempore, testimonio literarum perhennari, Nam fidelem memoriam retinet testimonium literarum. Vnde ad maiorem cautelam et tutelam nostri facti Nos Warpun et Hermannus, dictus Prutze, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, Quod nostrum molendinum situm Driuerstorp simul et locum et fundum Domino Abbati et Conuentui in Marienwalde, rationabiliter et rite vendidimus pro triginta talentis Brandenburgensium denariorum seu leuium sexaginta, Ita duntaxat, quod nec nos nec ipsi nec aliquis in perpetuum, quicunque emerit seu successerit in tali loco et flumine, libertatem seu facultatem molendinum habebit construendi, Nec aliquod molendinum ligneum, quod possit a vento moueri seu circumferri. Item si aliquod obstaculum seu Impedimentum ipsorum molendinum habuerit, de predicto flumine extirpare et remouere possunt vsque ad terminos distinctionis nostre sine aliqua Impetitione seu Contradictione. Item habebunt libertatem de villa Lamprechtsdorff per agros nostros vsque ad eorum molendinum viam faciendi. Insuper si nos aut heredes nostros contigerit vendere villam nostram Driuersdorff, non aliter vendemus nisi domino Abbati presenti et suo Conuentu, ne aliqua dissensio oriatur inter nos et predictum Abbatem et suum Conuentum de venditione prefati molendini. In huius rei testimonium prefens scriptum fecimus, conscribi, Sed quia proprio sigillo caruimus sub sigillo Consulum Ciuitatis Dubegniroe et sub sigillis vasallorum Henningi, dicti de Slauia, et Michaelis, dicti Kratz, fecimus roborari. Testes huius rei sunt viri Idonei, qui placitis Interfuerunt, videlicet dominus Gerardus, plebanus in Closteruelde et Consules prefate Ciuitatis Dubegniroe, et Henningus de Slauia, ac Michael Kratz, famuli superscripti Henningus Glume dictus, Syfridus et Hentzekinus de Sanitze et alii quam plures fide-digni. Datum anno domini M^o. CCC^o. XVIII^o., In decollationis Joannis Baptiste vigilia.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 143.

XIX. Herzog Otto von Stettin vereignet dem Kloster Marienwalde 10 Hufen in Gr. Laschow im Lande Bernstein, am 28. Juni 1320.

In nomine domini Amen. Otto, dei gratia dux sclauorum et Cassubie, omnibus in perpetuum. Ne actus pii principum, piis vsibus addicti, in obliuionem aliquam deueniant, Necesse est eos testibus et scriptis autenticis muniri et posterorum memorie commendari. Juxta quod scire volumus tam posteros quam presentes, Quod Abbati et Conuentui Monachorum ordinis Cisterciensis in Marienwalde, proprietatem decem mansorum in magna Laschow sitorum in territorio nostro Bernstein dedimus cum omni Jure et Jurisdictione, omni precaria quocunque censeatur nomine et qualitercunque indicta fuerit et petita, omni vtilitate et vsufructu, perpetuis temporibus duratu-